



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CLIV. Differentia 25. Post lapsum quinquennij uxorem adulteram maritus
secundùm leges non potest accusare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

XXV.

DIFFERENTIA 25.

Post lapsum quinquennij uxorem adulteram maritus secundum leges non potest accusare. *l. miles. ii. §. adulterij. ff. De adult. secundum Canones verò etiam post plures annos postulare separationem thori potest. c. admonere. 33. Q. 2. Bart. 168.*

I. *Papianus in §. cit. adulterij reum, inquit, intra quinque annos continuos à die criminis admissi defunctà quoque muliere accusari posse, manifestum est. Igitur non ulterius. Item Alexander Imperator l. 5. eod. Adulter post quinquennium, quàm commissum adulterium dicitur (quod continuum numeratur) accusari non potest: easque præscriptiones legibus datas reo auferri non oportet. Idem l. 78. eod. & l. 29. ff. ad ean. l. Iul. §. sex mensium. præcipitur, ne crimen adulterij quinquennio continuo sepitum excusetur. Ratio videtur esse ne vindictæ cupiditas, & criminandi, quos odimus, lubido longioris temporis extensione foveretur.*

II. Canones quod attinet, in *c. admonere* Stephanus Papa Hastulphum de cæde uxoris suæ, quasi adulteræ arguens, si, *inquit*, verum fuisset, quod absit, post septem annos pœnitentiâ peractâ, dimittere eam per approbatam causam potestas, si voluisses. Unde colligimus, non esse certum tempus constitutum, intra quod de adulterio agatur ad pœnam, vel ad repudium. Et legum civilium præscriptio forum civile tantum respicit, cu-

ius in Ecclesiâ quoad matrimonij statum nulla ratio habetur. Unde nullo quantumvis longo tempore ius accusandi adulteros quoad diuortium petendam præscribitur. *c. Maritis. De adult. Paludan. in 4. Dist. 35. q. 1. art. 5. Conclus. I. Sanchez l. 10. De matrim. Disp. 3. n. 9. Farinac. in Pract. Crim. Par. I. Q. 10. n. 15. Vbi limitat. Primò, ut non procedat, quando adulterium fuit iteratum, ut si cum eadem personâ per plures annos actum fuerit. Tunc enim ab ultima vice numerandum est quinquennium. Secundo, licet accusatio quinquennio circumscribatur, non tamen exceptio. Hæc enim perpetua est. Ideo contra adulteram repetente dotem maritus semper excipere potest. Tertio, non obtinere, quando adulterium vi illata commissum, vel cum incestu coniunctum est. Quarto, cessat præscriptio quoad ius petendi diuortium. V. *su. pr. Dif. cri. Glo. in c. cit. admonere.**

* *
* *
—

Aninomia

Y

DIF.